

1810

14

PROGRAMM

des

KÖNIGL. GYMNASIUMS

zu

WETZLAR

für

Das Schuljahr von Michaelis 1870 bis Michaelis 1871

veröffentlicht von dem Director

CARL AUGUST PERTZ.

Inhalt: De scriptoribus belli Mithridatici tertii. Scripsit Dr. Friedr. Wilhelm Lauer.
Schulnachrichten von dem Director.

Wetzlar.

Gedruckt bei Friedrich Cobet.

1871.

De scriptoribus belli Mithridatici tertii.

Merito Mommsenius ¹⁾ conqueritur, quod scriptores rerum a Romanis contra Mithridatem et Tigranem gestarum, qui adhuc servati sint, a rerum militarium intelligentia alienissimi fuerint; quae praecipua causa hoc quoque inter alia incommoda factum esse, ut, quae Lucullus expeditionibus praestitisset, numquam tanti aestimarentur, quanti deceret. Nec vero minus rerum illarum melior atque verior cognitio eo impeditur, quod nullus ex eis scriptoribus, quorum libri ad aetatem nostram pervenerunt, ad tempora, de quibus scribit, propius accedit; qui enim exstant libri, ad unum omnes extremis primi p. Chr. saeculi annis non sunt superiores, plurimi autem longe inferiores.

Atque hoc quidem loco de tertii belli Mithridatici fontibus disserere nobis proposuimus, quod bellum ut copiarum utrimque consumptarum magnitudine et longinquitate regionum temporumque, per quae gerebatur, ita gravitate exitus priora duo bella longe superat. Agitur autem de tribus potissimum scriptoribus, Plutarcho, Appiano, Cassio Dione, e quibus illorum duorum libri integri, Cassii Historiae inde a pugna ad Tigranocerta commissa hodie supersunt. Ad quos quartus accedit Memnon Heracleensis, cuius opus de rebus Heracleae Ponticae, quamvis ipsum interierit, satis tamen amplis excerptis Photii compensatur. Ac de Appiani quidem et Memnonis fontibus continua disputatio, quoad compertum habemus, adhuc nulla est instituta, de Dionis vero et Plutarchi fontibus, quamquam non defuerunt, qui disputarent, tamen, cum aperte inter se contradicant, quae vv. dd. investigaverunt, de integro instituere quaestionem haud a re abfuerit.

Cum autem bellum Mithridaticum tertium in duas partes divisum esse facile intellegatur, quarum altera res a Lucullo gestas complectens ad annum urbis 688 pertinet, altera res a Pompeio gestas complectitur, etiam hanc quaestionem in duas particulas dividendam esse existimavimus, ita ut prior de fontibus rerum a Lucullo altera a Pompeio gestarum disquirat. Nam scriptores ipsi quoque, de quibus quaerere in animo est, eam divisionem fecisse videntur, cum Plutarchus de rebus Luculli in vita Luculli, de Pompei rebus in eius vita agat, apud Appianum vero ac Dionem res illius ab huius rebus belli piratici rerumque urbanarum (App. c. 91 — 97 Dio 36, c. 20—45) narratione disiungantur. Accedit, quod Sallustii Historiae, quas adhibitas esse affirmant, qui adhuc in fontes illorum scriptorum inquisiverunt, non ultra annum 687 progressae esse videntur. ²⁾ De Memnonis

¹⁾ Hist. Rom. III, p. 73 ed. IV.

²⁾ Cf. Kritzii epistola ad Wuestemannum editioni fragmentorum praemissa p. XX.

vero auctoribus extremo loco agere praestat, quod is, cum omnino de rebus ad Heracleae obsidionem non pertinentibus nisi in transcurso non agat, neque illam divisionem instituisse neque eosdem cum ceteris scriptoribus fontes inspexisse videtur.

I. De Cassio Dione.

Cassium Dionem Grasshofius in dissertatione, quam «de fontibus et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani»¹⁾ scripsit, inde a capite primo libri 36 usque ad caput 29 eiusdem libri Sallustii Historiarum unico fonte usum esse evicit. Argumenta, quibus potissimum nititur, breviter hoc loco afferre liceat.

Argumentationis initium inde capit, quod complures res a Dione longe aliter atque a Plutarcho in vita Luculli narrentur. Dissentire enim hunc et illum de legationibus ad Parthos missis (p. 4) et de rebus a Lucullo in Armenia gestis, atque secundum Plutarchum Triarium, legatum Romanorum, ambitione permoveri, ut Mithridatem Gaziurae aggrediatur, secundum Dionem autem legatum a militibus propter impedimenta sollicitis cogi, ut manus cum Ponticis conserat (p. 5). Quae discrepantiae his duabus facile augentur. Dio (36, 8 § 3.) Lucillum aestate iam ex Armenia exercitum contra Nisibin duxisse refert, urbem autem a fratre Tigranis ita defensam esse, ut Romani sub hiemem demum eam expugnare possent. Qua cum narratione Plutarchi narratio minime convenit; is enim (c. 32 p. 539, 9)²⁾ Lucillum castris positis et omnibus rebus ad oppugnandum necessariis comparatis *ὀλίγω χρόνω* urbem cepisse affirmat. Secundum eundem scriptorem (c. 35 p. 542, 24), cum Lucullus, quominus legatis oppressis subveniat, seditione militum arceatur, Tigranes Cappadociam ferro ignique devastat et Mithridates *πάλιν ὑβριζέει*, si vero Dionem audis (36, 19 in.), a Mithridate Cappadocia vastatur et regnum paternum (aliter enim verba *πᾶσαν τὴν ἀρχὴν* intellegi non possunt) rursus expugnatur. Quibus ex discrepantiis satis apparet utrumque scriptorem ex diversis fontibus sua hausisse.

Jam si quaeritur, quis auctor Dionis fuerit, Grasshofius luculenter demonstravit Livii ab urbe condita libros a Dione in bello Mithridatico tertio adhibitos non esse, quamquam eundem scriptorem de rebus paucis annis post gestis, velut de coniuratione Catilinaria, non neglexisse videatur. Dio enim victoria Romanorum ad flumen Arsaciam plane neglecta, quam Livius secundum Plutarchum (Luc. 31 extr.) accuratius enarraverat, nullam omnino in Armenia pugnam graviorem commissam esse dicit, cum Mithridates et Tigranes milites suos a proelio consulto retinuerint; quin etiam compluribus proeliis minoribus secundum Dionem Romani inferiores discedunt, secundum Plutarchum Lucullus in Armenia nullam cladem accipit. Quibus praeterea Dionem a periocha Livii l. 98 Grasshofius discrepare monet, missa faciamus.

Compluribus deinde argumentis Grasshofius Sallustii Historiarum Dionis fontem primum fuisse evincit. Quo in numero gravissimum est, quod et Dio (36, 3) et Sallustius (Hist. IV, 19 Kritz IV, 61 Dietsch.) a Mithridate legatos ad Arsacem regem Parthorum missos esse dicentes in idem vitium incurrunt, quoniam regem Arsacem tunc iam mortuum fuisse aliunde satis constat (p. 4.). Quod autem v. d. addit, etiam ex eis, quae Dio (36, 18) de militum Romanorum seditionibus referat, Sallustium adhibendum esse apparere, quia cum eis, quae Plutarchus (Luc. c. 33) de eadem re secundum Sallustii Historias narret, manifeste congruant, Grasshofio concedere dubitaverim. Nam quod unum

¹⁾ Diss. in. Bonnae 1867.

²⁾ Paginas lineasque Plutarchi secundum minorem editionem Sintonisii (Lipsiae 1853. ed.) afferimus.

apud Plutarchum non est dubium, quin ad Sallustium redeat: iam initio belli apud Cyzicum et apud Cabira milites propter nimios labores succensusse Lucullo: id certis verbis dictum non reperitur apud Dionem.

Altero loco in compluribus Historiarum Sallustii fragmentis, quamvis sint mutila, etiamnunc perspicuum est Dionem ex Historiis hausisse. Quorum Grasshofius cum quattuor attulerit, e duobus tamen vix quidquam concludendum sit. Conferentes enim Hist. IV, 13 Kr. (Dietsch IV, 54) cum Dione (36, 3a) apud Sallustium unicum verbum «naphthas» servatum esse reperimus; quo nihil aliud probatur, quam Sallustium omnino de naphtha egisse; num autem, quae Dio (l. l.) de naphtha narrat, Sallustio debeat, inde non elucet.

Similiter secundo loco, quem attulit, nimium tribuit. Ubi Dio (36, 8) de Mesopotamia hoc dicit: «οὕτω γὰρ πᾶν τὸ μεταξύ τοῦ τε Τίγριδος καὶ τοῦ Εὐφράτου ὀνομάζεται.» Jam vero in Sallustii fragmentis IV, 11 Kr. (IV, 52 D) etiamsi similia leguntur: «quae tamen terra ab ipsis (sc. fluminibus) ambitur, Mesopotamia dicitur,» vix tamen puto quemquam fore, quin intellegat verba, de quibus agatur, tam simplicia et rei, de qua ageudum erat, tam apta et quasi in medio posita esse, ut Dionem Sallustio usum esse inde concludere non liceat. Accedit, quod ne constat quidem, num Sallustii ipsius verba l. l. legantur. Isidorus enim, qui (Orig. XIII, 21, 10) fragmentum servavit, hoc tantum dicit: «Sallustius asserit Tigrim et Euphraten uno fonte manare in Armenia;» deinde suis verbis pergit: «qui per divorsa euntes longius dividuntur spatio medio relicto multorum millium, quae tamen etc.» Utram igitur verba Isidori an Sallustii sint, ambigitur.

Quos tamen praeterea duos locos v. d. addit, cum ad verbum consentiant, Dionem e Sallustio pendere manifestum est. Consentit Dio 36, 17 cum Hist. V. 12 Kr. (V. 11 D) de Marcii in Ciliam itinere et Dio eodem capite cum Hist. V. 14 Kr. (V. 10 D) de legionibus Valerianis. Atque idem consensus his duobus locis conspicitur, quos insuper addimus.

Hist. V. 1 Kr. et D: Adeo eis ingenua est sanctitas regii nominis.

Dio 36, 11, 2: *Οἱ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου (sc. Μιθριδάτου) τε εὐνοίαν — ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας — ἔχοντες προσεχώρησαν αὐτῷ.*

Hist. V. 4 Kr. (V. 3 D) de Mithridate: Peractis septuaginta annis armatus equum insilire.

Dio 36, 11, 5: *Μιθριδάτης — καὶ γὰρ ὑπὲρ τὰ εβδομήκοντα ἔτη γεγονώς ἐμάχετο — λίθῳ ἐπλήγη.*

His igitur satis efficitur in ea parte tertii belli Mithridatici enarranda, quae usque ad Pompei in Asiam adventum pertinet, praecipuum Dionis auctorem fuisse Sallustium. Num autem praeter Historias aliorum quoque libros adhibuerit, metuo ne difficile sit diiudicatu; in singulis certe rebus enarrandis, velut l. 36, 13, ubi de ligneo signo Dianae Tauricae fusius exponit, ipse complures se consuluisse fatetur: «ὅπως διέμεινεν, οὐ δύναμαι τὸ σαφές πολλῶν λεγομένων εὐρεῖν.» Qui tamen hi πολλοὶ fuerint, Dio nos scire noluit.

II. De Plutarcho.

De fontibus Plutarchi in vita Luculli praeter Heerenium¹⁾ Hermannus Peterus et in commentatione Symbolis philologorum Bonnensium inserta,²⁾ et in libro suo de fontibus Plutarchi scripto³⁾

¹⁾ De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi commentationes quatuor. Göttingen, 1820.

²⁾ Tom. II. Lips. 1867, p. 463.

³⁾ Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865, p. 106.)

disputavit. Qui postquam evincere conatus est neque ex Livio neque ex duobus scriptoribus Graecis a Plutarcho laudatis narrationem tertii belli Mithridatici (ceteras enim vitae Luculli partes in hac quaestione nihil curamus) haustam esse, primum Plutarchi fontem Historias Sallustii fuisse affirmat. Grasshofus contra (l. l. p. 7) neque a Livio vel Graecis neque a Sallustio Plutarchum multum adiutum esse sibi persuadet; quem autem auctorem Plutarchus praecipue secutus sit, in medio relinquit.

Cum igitur vv. dd. tantopere de summa rei dissentiant, quaestionem de integro instituere placet.

In vita Luculli Plutarchus quatuor scriptores, bis (c. 11 p. 509, 10 et 33 p. 540, 1) Sallustium, bis (31 p. 538, 8 et 28 p. 533, 17) Livium, praeterea (c. 28 p. 533, 12) libellum Antiochi philosophi de diis (*ἐν τῇ Περὶ Θεῶν γράφῃ*) et commentarios Strabonis (l. l.) laudat (*ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν*). Recte Peterus perspexit neque Antiochum nec Strabonem primum vitae Luculli fontem fuisse; ut eam de Antiocho taceam, e libro illo Strabonis, utpote quem ipse philosophum dicat, quin certam Luculli imaginem exprimere non potuerit, minime est dubium. Aut igitur Livius aut Sallustius aut neuter primarius ille fons fuerit necesse est.

Ac Sallustium quidem a Plutarcho quasi pro fundamento narrationis positum esse Peterus primum inde concludit, quod cum aliorum scriptorum veterum tum maxime Plutarchi mos sit, ut auctorum, quorum vestigia cupidissime premant, nomina ubique silentio praeternittant ac tum tantum auctores afferre soleant, cum sibi ab auctoritate eorum recedendum esse putaverint. Sallustii autem illis duobus locis propterea tantum Plutarchum mentionem fecisse, quod errorem scriptoris ceterum probati refellere vellet. At Plutarchi in auctoribus afferendis consuetudinem, qua v. d. innititur, a Plutarcho ipso saepius neglectam esse e compluribus aliarum vitarum locis cognoscitur. In comparatione Coriolani cum Alcibiade (c. 2) ad Dionysium, quem ipso Petro auctore (Die Quellen Plutarchs etc. p. 7) potissimum secutus est, ita provocat, ut plane cum eo consentire videatur. Similiter multis locis (c. 4, 5, 6, 14, 16, 17, 19, 23, 27, 28, 37) vitae Cornelii Sullae commentariorum Sullae, quibus usus est, mentionem facit nec vero ullo ex his locis ita, ut Sullam, quod erraverit vel falsa retulerit, refutet reprehendatve. Etiam in vita Catonis Uticensis (c. 7), ubi auctorem Thraseam Paetum laudat, nulla dissensionis vestigia conspiciuntur. In vita Luculli priore quidem illo loco Plutarchum Sallustium commemorasse, ut eum errasse demonstraret, verba satis evincunt: *Σαλλουστίου δὲ θανατώσω τότε πρῶτον ὄψθαι Ῥωμαίους καμήλους λέγοντος εἰ μήτε ὄϊο κτλ.* sed plura quam singularem illam rem eo loco ad Sallustium auctorem referenda esse nulla re indicatur. Quod Plutarchum forte recordatum esse et scriptorem occasione data refellere haud ineptum existimavisse eo verisimilius est, quo magis conspicuum erat Sallustium in rebus ad descriptionem terrarum, incolarum rerumque naturae pertinentibus, in quibus si quis alius usque circumspecto iudicio versatus est, in errorem semel incidisse. Altero autem loco, quo Sallustii mentionem facit (c. 33): *Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν ἐνθὺς ἐν ἄρχῃ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκου,* cum ipse pergat: *ἡνίων δ' αὐτοῦς καὶ οἱ λοιποὶ χεῖμωνες,* profiteor me non assequi, qui Plutarchus Sallustii auctoritatem impugnuare possit videri. Immo Sallustii nomen ita profertur, ut omnino quis scriptor ad alium provocat. Et ne hoc quidem loco discerni potest, utrum plura an unum illud de militum apud Cyzicum contumacia Plutarchus ei debeat. Quamquam non nego facile fieri potuisse ut Plutarchus res c. 33 narratas maximam partem e Sallustii Historiis hauriret.

Deinde v. d. disputat nonnulla Sallustii fragmenta cum vitae Luculli verbis ita congruere, ut huius auctorem ex illis hausisse statuendum sit. Conferri iubet (Die Quellen etc. p. 107) Plut. Luc. 9 cum Hist. III, 13 et 14 Kr. (inc. 15 et III 15 D) Luc. 15 in. cum Hist. III, 1 Kr. (III, 42 D)

(Symbola II p. 463) Luc. 9 in. cum Hist. III, 16 Kr. et D., Luc. 18 in. cum Hist. III, 5 Kr. (III, 47 D) Luc. 21 (p. 522, 23) cum Hist. III, 6 Kr. (III, 48 D) Luc. 34 (p. 540, 24) cum Hist. V, 9 Kr. (V, 7 D.)

Quos singulos locos paullo accuratius iam inter se conferentes primum ex fragmentis, quod Kritzius libro III (13) assignat «serum eum bellum in angustiis futurum» et quo eorum sermonem contentum fuisse conicit, qui Luculli moram vituperarent, et sedis et interpretationis valde incertae esse reperimus; nam cum apud Philargyrium liber XII traditus sit, quem numerum corruptum esse patet, Kritzius argumentis non satis firmis innixus III correxit, Dietschius vero in incertorum librorum reliquiis posuit. Ei igitur loco nihil est tribuendum.

Porro quae verba Sall. Hist. IV. 1 Kr. (III, 42 D) leguntur «Amisumque assideri sine proeliis audiebat (sc. rex), quin de eadem re agant, quam Plutarchus c. 15 in. narrat: *Ὁ Λούκουλλος περὶ τὴν Ἀμισὸν διέτριψε μαλακῶς τῇ πολιορκίᾳ χρώμενος*, nullum dubium esse potest; Plutarchum vero Sallustii Historiis usum esse effici iude negamus, cum neque ulla verborum ipsorum similitudo conspiciatur neque nomen Luculli Amisum obsidentis omnino commemoretur. De proximis duobus locis, quorum alterum ex altero descriptum esse putat, similiter iudicandum est. Nam Sallustium Hist. III, 16 (Kr. et D) «Sallustius duces laudat, qui victoriam incruento exercitu reportarunt» de victoriis reportatis, Plutarchum c. 9 in. «*Λούκουλλος ἐμεγαληγόρησεν ὡς ὀλίγων ἡμερῶν ἀναιμωτὶ τὸ νίκημα παραδώσων αὐτοῖς*» de Lucullo se ἀναιμωτὶ victurum esse promittente agere apparet. Neque quisquam verbo ἐμεγαληγόρησεν laudem Lucullo tribui putabit, quam tamen Sallustius ei tribuerat. Accedit, quod etiam hic dubium est, num verba a Sallustio ipso ita profecta sint; Servius enim, cui debentur, secundum Kritzium «sensum magis quam ipsa verba auctoris secutus est.» Denique Orosium (VI, 2 extr.), qui Livium exscripsit, eisdem fere verbis «incruento milite» uti iam hoc loco attingere liceat, unde quid statuendum sit, infra explanabitur. Magis sane Hist. III, 14 Kr. (III, 15 D) «nam tertia tunc¹⁾ erat et sublimes nebula caelum obscurabat» cum verbis Plutarchi (c. 9 in) «*Μεθριδάτης εὐθύς ἀπὸ δείπνου νύκτι δυσφανῆ καὶ νοτερὰν ἔχων ἐκίνει*» convenire videantur. Nihilominus tamen apud Plutarchum ipsius diei «tertia lunae,» quam Sallustius praecipue premere videtur, nulla mentio fit, ita ut nequaquam exploratum sit, num verba de eadem re agant, de qua Plutarchus agit. Quae porro Plutarchus c. 34 (p. 540, 24) de Clodio seditionum in exercitu Romano auctore narrat: «*ἦν δὲ τῆς Λουκούλλου γυναικὸς ἀδελφός,*» num ad hoc Sallustii fragmentum (V, 9 Kr. V, 7 D) «qui uxori eius (sc. Luculli) frater erat» redeant, propterea in medio relinquendum est, quod, quamvis verba utrimque mirum in modum consentiant, res tamen, quae refertur, tam simplex est et pervulgata, ut facile fieri potuerit, ut vel scriptoribus longe inter se distantibus eadem verba in mentem venirent.

Ceteris autem duobus locis, qui restant, Historias Plutarchi fontem fuisse libenter Petero concedo. Hist. III, 5 Kr. (III, 47 D):

Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias.

Hist. III, 6 Kr. (III, 46 D) de Appii cum Tigrae colloquio: insolens vera accipiendi.

Luc. 18 in: *Τὰ δὲ Κάβειρα λαβὼν θησαυρούς τε μεγάλους εὗρε καὶ δεσμοτήρια.*

Luc. 21 (p. 522, 23) ὥστε τὸν Τιγράην — *μὴ λαθεῖν τοὺς παρόντας ἠλλοιώμενον τῇ παρήσει τοῦ νεανίσκου φωνῆς σχεδὸν ἐλευθέρως ἀκούοντα διὰ — ἐτῶν.*

Quin etiam duorum aliorum locorum Plutarchi verba duabus Sallustii fragmentis tam similia sunt, ut etiam ea ex Historiis translata esse existimemus.

¹⁾ Dietschius et Maehlyus in Nov. Ann. 77 p. 80 pro «tunc» «luna» scribunt, quod verbum Kritzius supplet.

1) Hist. III, 4 Kr. (D. III, 46 de Monima Milesia: Cultu corporis ornata egregio.

Luc. 18 (p. 517, 27) αὐτὴ ἀπεθρήμει τὴν τοῦ σώματος εὐμορφίαν.

Quatuor igitur vel quinque Plutarchi locis tantummodo historiarum Sallustii certa vestigia conspiciuntur. Licet enim, cum primum aspexeris, etiam aliis utrimque similitudines rerum vel verborum reperisse tibi videaris, accuratiore tamen examine instituto apparebit, aut, quod supra ad Hist. V, 9 (V. 7 D) monuimus, res tam simplices tritasque esse, ut quisvis scriptor, qui eas commemoret, eisdem fere verbis uti cogatur, aut fragmentorum Sallustii interpretationem tam incertam atque impeditam esse, ut, cum a diversis editoribus diverse explicentur inque diversis locis ponantur, nihil certi inde concludi possit. Atque illius quidem generis verba sunt, quae Hist. III, 8 Kr. (V. 6 D) leguntur: «imperiū prolatandi percupidus habebatur,» quibuscum fortasse aliquis haec Luculli (c. 24, p. 526, 6) contulerit: «ὥστε ἐν Ῥώμῃ καταβοῶν τοὺς δημαγωγούς ὡς πόλεμον ἐκ πολέμου δῶκει Λούκουλλος οὐδὲν τῆς πόλεως δεομένης, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ στρατηγῶν μηδέποτε καταθέσθαι τὰ ὅπλα» vel c. 33: «ὡς ὑπὸ φιλαρχίας — ἐλκοντος τὸν πόλεμον.» Alterius autem generis sunt haec Sallustii III, 11 Kr. (IV, 14 D): «armis et equis decoribus cultus,» quae verba Kritzius de supervacaneo armorum ornatu a Mithridate dempto (cf. Plut. Luc. 7 in.: «ἀφελῶν — ὀπλων διαχρύσων καὶ διαλίθων κατασκευάς» intellegit, cum Dietschius interpretationem integram relinquat.²⁾ Eodem pertinet, quod Dietschius morbos a Sallustio III, 28 Kr. (III, 27 D) commemoratos («morbi graves ob inedia insolita vescentibus») ad obsidionem Calaguritanorum refert, cum Kritzius eorum in obsidione Cyzici narrata mentionem a Sallustio factam esse existimet et cum eis comparet, quae a Plutarcho (c. 11 in.) narrantur.

Nonne vero illi quatuor vel quinque loci satis comprobant Sallustium fontem primum Plutarchi fuisse? Fragmenta illa ab editoribus dudum intellectum est eidem Historiarum parti attribuenda esse omnia, narrantur enim eis res paullo post Mithridatis cladem gestae. Itaque hoc unum efficitur, una in parte vitae Luculli atque ea haud ita magna Plutarchum Historiis usum esse.

Sed ceteris in partibus eiusdem vitae Plutarchum vel plane neglexisse Historias vel ita certe in usum suum convertisse, ut paucas singulasque res inde decerperet, et ex gravissimis illis a Dione discrepantibus, quippe qui Sallustium pro primario fonte habuerit, et inde apparet, quod duo loci Plutarchi ipsis Sallustii fragmentis repugnant. Quae discrepantiae quamvis leviores fortasse videantur, tamen manifestum est Plutarchum, si Historiis multum tribuisset, ne in minoribus quidem rebus, causa praesertim nulla addita, earum auctoritatem neglecturum fuisse.

Sallustius II, 55 Kr. (II, 46 D) Mithridatem et fratrem et sororem interfici iussisse narrat, cum Plutarchus c. 18 (p. 517, 14: «αἱ δ' ἀποτάτω τοῦ κινδύνου δοκοῦσαι περὶ Φαρνάκειων ἀδελφαὶ καὶ γυναῖκες οἰκτρῶς ἀπώλοντο») complures regis uxores et sorores tunc interfectas esse tradat.

Hist. III, 10 Kr. (III, 51 D) Sallustius de Lucullo Euphraten fluvium transgressuro agens naves iam ante paratas esse dicit («quamquam naves codicariae occulto per hiemem fabricatae aderant»), Plutarchus 24 (p. 526, 14), cum expectandam esset, dum naves conferrentur ratesque conficerentur, Lucillum moram moleste tulisse refert («ἤσχαλλεν ὡς διατριβῆς καὶ πραγματείας ἐσομένης συνάγοντι πορθμεῖα καὶ πηγνυμένῳ σχεδίας»).

Quae cum ita sint, de argumento Peteri, quod postremum attulit, pluribus agere supersedemus: fieri non posse, quin Plutarchus epistolam a Lucullo ad senatum missam (c. 26 extr.: «ὡς Λούκουλλος ἔγραψε πρὸς τὴν σύγκλητον»), cum ad Euphratem vicisset, e Sallustii Historiis cognitam

1) Kritzius: «de cuius tragica sorte cum Plutarchus data opera exposuerit, Sallustio auctore id eum fecisse arbitror.»

2) Dietschius ad III, 14: «nam arma decora per se non sunt splendida, set qualia bellatorem decent.»

habuerit; Sallustium enim epistulas operi inserere solitum esse et *καταφράκτους*, de quibus Plutarchus dicat, etiam apud Sallustium reperiri (III, 16 Kr. III, 56 D). Etiam si enim Petero damus, quamquam nulla in fragmentis vestigia exstant, Sallustium epistolam illam Historiis inseruisse, cur non alios quoque scriptores, praesertim Romanos, literas illas Luculli novisse putabimus? Cataphractorum vero, quibus tantum Armenii confidebant, non modo facile poterat sed debebat mentionem facere, quicumque scriptor rebus tunc gestis operam navare sibi proposuerat.

Ad Livium venimus. Atque ut primum expediamus, quae obstare dicuntur, quominus Plutarchus Livium adhibuerit, etiam in hac re Peterus multum rationi tribuit, quae a Plutarcho Livius commemoratur (l. l.). Narratione enim pugnae Tigranocertensis plane absoluta post Antiochi et Strabonis sententias Livii quoddam de pugna iudicium afferri; unde facile intellegi pugnae ipsius descriptionem e Livio haustam non esse. Sed metuo ne nimium v. d. inde collegerit. Quid enim? Num Livii illud iudicium a pugnae descriptione, quae apud Plutarchum legitur, abhorret? Immo verbis sequentibus: *«αρχεδὸν γὰρ οὐδ' εἰκοστὸν ἀλλ' ἑλαττον ἐγένοντο μέρος οἱ νικῶντες τῶν ἡσσημένων»* Livius a Plutarcho omnino probatur. Nec vero inepte, postquam occasione data protulit, quae Antiochus et Strabo philosophi de pugnae magnitudine iudicaverunt, iam ad gravissimum Livii rerum scriptoris iudicium provocat, quod illorum testimoniis quasi firmatum atque comprobatum est. Alterum argumentum a Petero contra Livium prolatum, quod etiam Grasshofius probavit (p. 7), eo nititur, quod militum regis in pugna apud Tigranocerta occisorum numerum alium Plutarchus tradat (c. 28: *«λέγεται δὲ τῶν μὲν πεζῶν ὑπὲρ δέκα μυριάδας διαφθαρῆναι, τῶν δὲ ἰππέων ὀλίγους παντάπασι διαφθαρῆναι»*), alium Orosius (p. 377. VI, 3: «triginta milia hominum in eo bello caesa referuntur»); cum enim eo loco Livium ab Orosio excerptum esse constet, Plutarchum Livium in usum suum convertere non potuisse.

Sane mirum est, quantum vv. dd. rei tam levi attribuerint. Apud veteres cum in codicibus numeri notis literisque nec vero verbis exprimerentur, facillime numeri depravari et mutari poterant, atque id re vera saepius factum esse vel numeri librorum, quorum apud grammaticos fragmenta traduntur, plus semel mutati et a diversis diverse laudati indicant. Itaque licet numeris variorum scriptorum convenientibus plerumque merito inde colligas aut alterum ex altero hausisse aut eodem fonte utrumque usum esse, tamen ex una aliqua numerorum discrepantia, si ceteris rebus ac potissimum verbis congruant, eos ex diversis fontibus hausisse valde dubitaverim colligere. Accedit, quod Orosium scriptorem negligentem et multis erroribus obnoxium fuisse exploratum est, cui, cum egregiis fontibus usus sit, multae quidem res haud spernendae debentur, sed ubique summa cautione in diiudicandis rebus ab eo traditis opus est. Quin etiam ipse Moernerus¹⁾ (p. 133), qui belli Mithridatici tertii narrationem apud eum e Livio fluxisse comprobavit, Orosium numerum occisorum de pugna ad Cabira commissa ad Tigranocertensem fortasse transtulisse putat. Utut est, illi uni discrepantiae vix quidquam tribuerim.

Eandem vero Orosii incuriam eo conspicimus, quod Lucillum apud Tigranocerta cum Mithridate et Tigrae congressum esse dicit, cum Plutarchus (26 p. 529, 5 cf. c. 29 in.) Mithridatem pugnae non interfuisse affirmet. Orosius enim paullo infra de fuga Ponticorum agens unius Tigranis mentionem facit, Mithridatem omittit.

Tantum igitur abest, ut Peteri argumentis accedamus, ut Livium primum fontem Plutarchi fuisse dicamus. Cum autem Livii libri ipsi, quibus bellum Mithridaticum tertium narraverat, (nonagesimus et sequentes usque ad centesimum secundum) temporum iniquitate interierint, nihil aliud

¹⁾ De Orosii vita eiusque Historiarum libris septem adversus paganos scr. Th. de Moerner Diss. in. Berolini 1844.

restat, quam ut scriptores, quos aut omnia aut pleraque ex Livii libris hausisse constat, cum Plutarcho consentire demonstremus

Praeter epitomas autem librorum deperditorum Livii in censum veniunt Julius Obsequens, Eutropius, Florus, denique Frontinus.¹⁾ Atque Livii periochas nihil habere, quod non a Livio ipso profectum sit, per se patet; sed etiam Obsequentis librum de prodigiis nulla prodigia Livio non debere satis certum atque exploratum est.²⁾ Etiam Orosium, quamvis praeter Livium alios quoque scriptores adhibere consuerit, in ea operis parte, qua tertium bellum Mithridaticum continetur, unum Livium secutum esse accuratissima collatione Moernerus³⁾ investigavit. Eutropius Livium pro primario fonte habuit, sed etiam aliorum scriptorum libros inspexit et ex eis nonnulla decerpit. Quod cum vel a Suida perspectum esset, post Koehlerii⁴⁾ accuratiorem disputationem iam dubium non est. Quamquam enim is Eutropium ita fecisse libris Livianis eis tantummodo collatis, qui hodie supersunt, comprobavit, apertum tamen est Livii libris deperditis scriptorem eodem modo usum esse.⁵⁾ Florus autem, qui in temporibus antiquioribus reipublicae Romanae scribendis Livii fere unius vestigia pressit, postea secundum Heinium⁶⁾ multa ut ex aliis fontibus ita ex Sallustii libris hausit. Quamquam quod v. d. affirmat, cum vel maximam partem vel unius Sallustii scriptis usum esse, ei assentiri dubito. Qui enim in superioribus libris Livii tam studiosus fuisset, eum postmodo Livium plane neglexisse, utpote cuius genus scribendi consilio Flori valde conduceret, nec verisimile nec probatum est. Restat Frontinas, de cuius fontibus accuratior quaestio adhuc desideratur. Tamen eum frequenter Livio usum esse multis apparet. Quae autem ex Livio et uude omnino singula quaeque sumpserit, non constat.

Itaque ante omnia ratio Livii periocharum, Obsequentis, Orosii habenda est, cum quibus, si Plutarchus consentit, eum Livio usum esse consentaneum est; idem, si cum Eutropio consentit, verisimillimum est; Florum autem vel Frontinum si cum eo congruere repererimus, certi nihil inde concludi poterit.

Jam si singulas res a Plutarcho traditas cum eis, quae a Livio profecta esse videntur, contulerimus, saepius illum cum Livio consentire intellegemus.

Congruenter cum Livii periocha l. 93 («Occupata Bithynia M. Aurelius Cotta cos. ad Chalcedona proelio a rege victus») Plutarchus c. 8 Cottae cladem et deditionem Chalcedonis narrat. Deinde Plutarchus c. 9, etsi proelia equestria omittit, quibus secundum Livii periocham 94 Lucullus Mithridatem vicit, eo tamen cum Livio facit, quod Lucullum cum milites suos a pugnando retinuisse tum regis copias ad flumen Rhydacum fudisse atque fugavisse tradit (l. 94: «Lucullus⁷⁾ — aliquod expeditiones prosperas fecit poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit»). Porro licet non satis liqueat, num, quae de Mario, Mithridatis praefecto navali, capto tradit, de quo fusius Orosius 36, 2 p. 375 agit, Livio debeat, nam brevissime rem absolvit, tamen quod congruenter cum Orosio (l. l. p. 374 extr. cf. Livii periocham 95) tradit regem apud Cyzicum omnino triginta milia hominum amisisse, Livio videtur usum esse. Nec minus congruenter Orosius (36, 2 extr.) et Plutar-

¹⁾ In Valerii Maximi libris nihil narratur, quod ad bellum Mithridaticum tertium pertineat.

²⁾ Teuffel, Römische Literaturgeschichte. p. 860, 9.

³⁾ l. l. p. 133, 162.

⁴⁾ U. Köhler: Qua ratione T. Livii Annalibus usi sint historici Latini atque Graeci. Göttingae 1860.

⁵⁾ Teuffel, l. G. p. 859.

⁶⁾ De Floro Historico. Diss. in. Bonnae 1866, p. 49.

⁷⁾ Jahni editionem (Lips. 1853 ed.) sequer.

chus (c. 13 p. 511) referunt Mithridatem vehementi tempestate correptum quassata nave myoparone piratarum receptum et servatum esse. Quod vero secundum Orosium rex Sinopen, secundum Plutarchum Heracleam transfertur, facillime ita explicatur, ut Orosius brevitati studeus Heracleam plane omittat; Heraclea enim paullo post rex Sinopen pervenit (Liv. Ep. 95 extr.). Tum cum Orosio (36, 3 p. 376) eis convenit Plutarchus (23, q. 524, 20), quae de expugnatione Sinopen a piratis fugientibus incensae tradit; cum Livio ipso (Per. 98 in.) de Machare filio Mithridatis a Lucullo in amicitiam recepto (c. 24) consentit. Qua de re Dionem a Livio discrepare supra demonstravimus, de ea Plutarchus cum Livii Periocha 98 convenit, cum uterque Mithridatem eiusque socerum compluribus proeliis in Armenia a Lucullo victum esse referat (Luc. 28 et 31). Cur Lucullo ex Armenia descendendum fuerit, Livius unicam causam militum seditionem attulisse videtur (Per. 98: «Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigræum summamque victoriae impoueret, seditio militum tenuit, qui sequi volebant.») Quem Plutarchus (c. 32) omnino sequitur. Nec non verisimile est Plutarchum ex Livii libris hausisse, quae de Nisibi capta et Triario a Mithridate victo, quod, priusquam Lucullus adventasset, victoriam praeripere vellet, capitis 35 initio tradit. Eutropius enim (6, 9) congruenter cum Plutarcho et fratrem regis ea in urbe captum esse et eos, quos in Ponto Lucullus reliquisset cum exercitus parte, neglegenter se et avarè egisse tradit, secundum Dionem autem milites Triarium cogunt, ut proelium committat.

Nescio autem an duo sint loci, quibus, si primum aspexeris, discrepare inter Plutarchum et Livium putes: tamen eisdem, si rectius explicantur, contra Livium Plutarchi fontem fuisse efficitur. Florus enim (I, 39 p. 65 Jahn.) Mithridatem post cladem ad Granicum acceptam paene captum a Romanis persequentibus, sparso tamen auro avaritia eorundem servatum esse tradit. («Rex callidus Romanaeque avaritiae peritus spargi aurum a fugientibus et pecuniam iussit, qua sequentes moraretur.») Eandem rem Plutarchus (c. 17 extr) post pugnam Cabirensis factam esse narrat; atque illo quidem loco recte rem narrari inde patet, quod et Orosius (p. 374 extr.) et Livii Periocha 95 regem post obsidionem Cyzici navi fugisse dicunt. Si igitur nobis persuademus Florum errantem rem, quam tamen Livio deberet, non iusto loco narravisse, re ipsa tam congruenter narrata facile Livii vestigia conspicimus. De altero loco pariter iudicandum est. Eutropius (6, 9 extr.), cum quo Sextus Rufus Festus²⁾ ita congruit, ut aut Eutropium ipsum aut eundem cum Eutropio auctorem, Livium videlicet, adhibuisse existimandus sit, capta Nisibi Lucullum expeditionem contra Persas i. e. Parthos paravisse tradit. Idem unus praeterea Plutarchus commemorat, sed secundum hunc Lucullus expeditionem post pugnam Tigranocertensem facturus est. Quin res Livio debeatur, vix potest dubium esse; uter autem de tempore, quo consilium captum sit, erraverit, nam alterum erravisse necesse est, non diiudicaverim.³⁾

Denique Livium Plutarchi fontem primum fuisse inde colligendum est, quod duo prodigia a Julio Obsequente relata congruenter narrata apud Plutarchum inveniuntur.

Obs. 60 p. 133 Jahn. de Aristagorae somnio: Cyzicum Mithridates cum oppugnaret,

Luc. 10, p. 508, 1: Ὀυαρὶ ἡ θεὸς Ἀρισταγόρῃ τῇ τοῦ δήμου γραμματιστῆ παραστᾶσαι

¹⁾ Weissenborn: «quia.»

²⁾ Scriptores Historiae Romanae ed. Haurisius Heidelbergae 1743, p. 165.: «tendere in Persas paratus successorem accepit.»

³⁾ Drumannus, Hist. Rom. III, p. 151, et Mommsenius, Hist. Rom. III. p. 69 ed. IV, Plutarchum secuntur, hic tamen famam tantum rei per Clodium divulgatam esse nec verum Luculli consilium fuisse censet.

Aristagorae, qui in summo magistratu erat, Proserpina in quiete visa est dicere adversus tibicinem se tibicinem comparasse.

De bove sacra eodem loco: Ad immolandum bos sacra iniussa de montibus per hostium classem adnatavit seque ad aras percutiendam obtulit.

Quod autem Plutarchus complures res ab Orosio et Livii periocharum scriptore commemoratas omisit, facile eo explicatur, quod, cum Plutarchus sibi proposuisset vitam Luculli nec vero historiam scribere, multas res neglegere vel poterat vel debebat, quae ad Lucillum minus pertinerent. Superedit narrare cladem Eumachi (Liv. Ep. 94, Oros. 6, 2 p. 374), cladem Fannii et Metrophanis (Oros. l. l. p. 373), audaciam nuntii¹⁾ a Lucullo ad Cyzicenos missi (Oros. l. l. Flor. l. l. p. 65, 15, Frontin. Strat. III. 13, 6) aliaque eius generis.

Quid denique de numerorum singulorum discrepantiis statuendum videatur, supra exposuimus. Quamobrem quod Plutarchus (c. 24 p. 525, 30) Lucullo quindecim milia peditum, tria equitum, Eutropius et Rufus Festus (l. l.) ei omnino duodeviginti milia hominum tribuunt, et eodem loco Eutropius et Plutarchus de copiarum Mithridatis numeris dissentiant, minimi fecerim, cum praesertim Eutropii numeros nimis auctos esse nemo non intellegat. Immo ex eis, quae disputavimus, satis apparere putamus, quantopere Plutarchus e Livio pendeat.

De Appiano.

De fontibus libri Appiani, qui *Μισθριδάτειος* inscribitur, nulla adhuc quaestio instituta est; Wijnnius enim, qui de fide et auctoritate Appiani accurate disseruit,²⁾ bellorum civilium fontes tantum explorare satis habuit.

Ab Appiano ipso in ea belli Mithridatici parte, qua res a Mithridate et Tigrae contra Romanos usque ad annum urbis 687 gestae narrantur, (c. 68 usque ad c. 91) auctor nullus laudatur, cum primis primi belli Mithridatici capitibus (c. 8) ad Hieronymum Cardianum auctorem provocet. Verum et inde, quod Appianus in praefatione operi praemissa multorum scriptorum Graecorum atque Romanorum scripta se voluisse profiteretur (c. 12 p. 9, 24 Bekker: *καὶ ταῦτε πολλοὶ μὲν Ἑλλήνων πολλοὶ δὲ Ῥωμαίων συνέγραψαν κτλ.*) et ex eis, quae adhuc cum ab aliis vv. dd. tum a Wijnnio explorata sunt de ratione, qua libros suos Appianus composuerit, hoc certe prodit, Appianum non ut Plutarchum aliosve scriptores unum vel admodum paucos scriptores adhibuisse, sed variorum scriptorum narrationes comparatas inter se atque examinatas ita usurpasse, ut inde suo iudicio deligeret, quae satis certa et consilio suo apta putaret. Si quis igitur omnes illos auctoris fontes indagare et explanare vellet, metuo ne, quamvis assidue in Appiani librum inquireret, oleum tamen et operam perderet. Nam quaestio vel eo maxime impeditur, quod plerumquae auctorum, quos ab Appiano adhibitos esse verisimile est, hodie aut admodum pauca eaque maximam partem lacera

¹⁾ Kritzius (ad Hist. Sall. III, 20) omnes illos scriptores, Dietschius (ad III, 19) partem certe eorum rem ex Historiis Sallustii hausisse putant, quarum fragmentum a Nonio servatum de eadem re agit. Quod ideo verisimile non est, quod omnes uberiora Sallustio praebent, utpote a quo nec septem milia passuum Orosii nec species marinae pristis Flori nec duae regulae inter se distantes Frontini commemorantur. Malim equidem tres scriptores illos ad Livium referre, qui de ea re ipse fortasse Sallustium inspexerat, sed plura addiderat.

²⁾ Groningae 1855.

«Καὶ μὴν ἔγωγε» εἶπεν «ἤκω τὸν Λιβυκὸν ἀλιητὴν ἐπὶ τὸν Ποντικὸν σαλπικτὴν ἐπάγουσα.»

Eodem loco: ἡ δ' ἱερά (βοῦς) — μόνη διε-
νήξατο πρὸς τὴν πόλιν καὶ κατέστησεν ἐπὶ τὴν
θυσίαν αὐτήν.

et multis modis corrupta fragmenta aut plane nulla supersunt. Quam rei difficultatem etiam Wijn-
nius expertus est; nam, ut exemplo utar, in primi bellorum civilium libri fontes inquirens, cum
scriptorum, quos Appianus adhibere potuerit, satis amplum numerum in censum vocet, tres re vera,
Livium, Posidonium, Rutilium Rufum ab Appiano adhibitos, duos, Sallustium et Plutarchum, non
adhibitos esse reperit (p. 28): de plerisque nihil aliud investigavit quam non liquere, utrum eis
Appianus usus sit necne. Similem eventum in ceteris libris habuit. Itaque cum uberiora in bello-
rum Mithridaticorum fontibus indagandis nos reperturos esse vix sit sperandum, quaerere satagimus
primum, num Sallustio, deinde, num Livio usus sit, denique, num praeterea alii fontes adhibiti
restent, quos singulos investigare omittimus.

Sallustii libro de Catilinae coniuratione Appianum in secundo bellorum civilium libro prae-
ceteris usum esse et Wiedemannus ¹⁾ et Wijnnius (l. l. p. 41) docuerunt; eiusdem vero auctoris Hi-
storiae in primo bellorum civilium neglexit. Cur ita fecerit, quamquam adhuc non est explicatum,
tamen inde, quod ita fecit, conicere licet Appianum easdem Historias in libro bellorum Mithridati-
corum item neglexisse.

Atque primum quidem Appianum cum Dione comparemus, quippe quem Sallustium pro pri-
mario fonte habuisse supra demonstraverimus. Quae Dio de rebus a Lucullo in Armenia gestis et
de Nisibi expugnata narrat, nullo quidem loco rebus ab Appiano traditis repugnant, sed ab utroque
complures res omittuntur, quae apud alterum leguntur. Appianus, qui obsidionem et expugnationem
Tigranocertorum longe accuratius quam Dio narrat, uxoribus potentiorum hominum a Romanis tem-
peratum esse (Dio c. 4) non commemorat. Idem (c. 87 in.) regem Parthorum et cum Tigra-
ne et cum Romanis de foedere egisse tradit, Dio quamvis copiosius referens Parthorum regem cum Tigra-
ne pactum esse non dicit. Neque cladis equitum regionum in Armenia acceptae Dio mentionem facit,
de qua Appianus (c. 87) agit. Contra Appianus Nisibis expugnationem nequaquam attingit, cum
Lucullus ex Armenia regressus Mithridatis vestigiis instet.

In eis autem, quae ab utroque de Mithridatis atque Fabii Triarii pugnis traduntur, dis-
crepantiae manifeste apparent. Secundum Dionem eum (c. 11) Mithridates Fabium ab incolis Pon-
ticis Thracibusque mercennariis et servis in castris Romanorum seditionem moventibus adiutus vin-
cit, secundum Appianum (c. 88) Fabius iam antea superatus, postquam ipse servos liberavit, iterum
manus cum Mithridate conserit, qua ex pugna, cum rex vulneretur, aequo Marte disceditur. Deinde
primum proelium regis et Triarii vehementi tempestate coorta secundum Appianum dubium fuit, Dio
autem (c. 12) regem, postquam Triarium appropinquare comperisset, proelio nullo commisso fugisse
tradit. Denique ne ea quidem, quae ab utroque de Triarii clade narrantur (Dio 36, 14. App. 89),
inter se congruunt. Ergo apparet, quae de rebus a Lucullo in Armenia et Mesopotamia gestis et
de Fabii et Triarii cum rege Mithridate pugnibus ab Appiano narrentur, ex Historiis Sallustii hau-
sta non esse.

Quod eo quoque probatur, quod inter fragmenta libri Historiarum quinti, quo illa tempora
Sallustius descriperat, et Appiani librum nullus verborum consensus reperitur. Licet enim haud
immerito et Kritzius et Dietschius duo verba fragmenti V. 2 «luxo pede» interpretantes de priore
vulnere Mithridatis in pugna contra Fabium accepto cogitent, de quo Appianus c. 88 agit, similia
verba apud Appianum eo loco non exstant. Neque meliora ex fragmento Kritzii, quod sequitur.

¹⁾ Philologus XXI, p. 479. Wiedemannus praeter Sallustium etiam Plutarchum ab Appiano adhibitum esse
demonstrare conatus est, sed eam v. d. sententiam Peterus causis satis gravibus allatis reiecit. (Die Quellen Plu-
tarchs etc. pag. 133.)

apparuerint (V. 3: «Prohibet nocere venenum, quod tibi datur»). Quod cum v. d. ita explicet, ut verba sint medici veneno illud vulnus regis curaturi, veneno enim (*iois õgenov* c. 88) vulnus curatum esse Appianum tradere, Dietschius explicationem incertissimam esse censens verba incertorum librorum fragmentis (c. 30) adposuit.

Quaeritur iam, num forte in prima belli Mithridatici tertii parte Appianus Sallustium adhibuerit. Cum Dionis Historia eorum annorum interierit, nihil aliud relinquatur, quam ut Appianum cum ipsius Sallustii fragmentis comparemus. Quorum explanatores, imprimis Kritzius et Dietschius, inter fragmenta et Appianum compluribus locis cum rerum tum verborum magnam similitudinem conspicere sibi visi sunt nec frustra Appiano adhibito compluribus Historiarum fragmentis, quae aut perperam explicata erant aut intellegi omnino non poterant, lucem attulerunt. Itaque, quamvis certis quidem verbis vv. dd. non affirmaverint Sallustium fontem Appiani fuisse, facile tamen, qui commentariis eorum utitur, eos ita censuisse existimaverit.¹⁾ Partem quidem eorum fragmentorum, ad quae explananda Kritzius Appianum adhibuerat, Dietschius vel aliter explicavit vel non satis liquere iudicavit; quam ob rem ea omittimus, velut II, 59 Kr. (II, 52 D) II, 60 Kr. (II, 53 D) III, 21 Kr. (III, 20 D).

In multis autem fragmentis, quae huc pertinent, Sallustius brevius rem absolvit quam Appianus. Hist. III, 28 Kr. (III, 27 D) ubi Sallustius milites regis ob inedia insolita vescentes ad Cyzicum gravibus morbis correptos esse tradit, Appianus accuratius dicit, quae gustaverint et quomodo pestilentia orta sit (c. 76). Similia leguntur Hist. III, 31 Kr. (III, 53 D) et App. c. 75 extr., qui *Kilixian* et plura addit; Hist. II, 53 Kr. (II, 44 D) et App. c. 112 in., qui *επαιδέματος ὄν* addit; II, 54 et 55 Kr. (II, 45 et 46 D) et App. c. 112 extr., hic enim sex liberos necatos esse addit; II, 56 Kr. (II, 47 D) et App. l. 1.; addit enim arma Mithridatis in Graecia spectari. His igitur locis Sallustio usus non est.

Aliis rursus locis quamvis Sallustium copiosius quidem de eisdem rebus atque Appianum egisse fragmenta indicent, tamen ideo hunc ex illo hausisse negandum est, quod Appianus ea ipsa non commemorat, quae praecipue ut singularia legentium oculos in se convertunt et quae, si Sallustium adhibuisset, non est dubium, quin non omissurus fuisset. Uterque quidem opera in oppugnatione Cyzici utrimque adhibita diligentius describit, sed «orbes axe iunctos» cum verutis, quibus maxime incolas hostium impetum propulsavisse Sallustius Hist. III, 22 et 23 Kr. (III, 21 et 22 D) tradit, Appianus non commemorat (c. 74 med.). Porro cum Sallustius (III, 26 Kr. et D) narret incolas Cyzici trepidasse, ne nova munimenta madore infirmarentur, Appianus (c. 74 extr) partem quidem muri collapsi noctu ab incolis restitutam esse tradit, de timore vero incolarum, ne novus murus aqua maris infirmatus corrueret, plane tacet.

Denique etiam eo, quod ab Appiano complures belli Mithridatici tertii partes, quas Sallustius accuratius enarraverat, aut omnino praetermittuntur aut nimia cum brevitate absolvuntur, Sallustium Appiani fontem non fuisse efficitur. Neglegit enim Appianus plane de situ ac natura Ponti agere, quam terram diligentissime a Sallustio descriptam esse decem Historiarum fragmentis adhuc servatis elucet (III, 43—53 Kr. III, 41—51 D), nec de Armenia vel Mesopotamia ulla facit verba. de quibus idem Sallustius uberius egisse videtur (Hist. III, 10—12 Kr. III, 51—53 D). Praeterea opera, quibus a Romanis Tigranocerta oppugnabantur, atque oppugnatione ipsa ab Appiano strictim absolvuntur, cum etiam eis in rebus e fragmentis Historiarum appareat (App. Mithr. c. 85 in. 86, Hist. III, 13—15 Kr. III, 54—56 D), quanta diligentia singula quaeque a Sallustio exposita

¹⁾ Cf. Peter in Symbolis phil. Bonn. II, p. 1.

fuerint. Neque illis denique locis, quibus Plutarchus Sallustium secutus esse videtur (cf. supra), inter verba Appiani, qui tamen nonnullas res a Plutarcho narratas velut Clodii legationem regu-
lorumque animos firmatos prorsus omittit, et Plutarchi Lucullum ulla similitudo conspicitur. Tan-
tum igitur abest, ut Appianus Historias Sallustii pro primario fonte habuerit, ut ne inspexisse qui-
dem eas videatur. Itaque proximo loco de Livio videndum est.

Livium per quinque bellorum civilium libros ab Appiano adhibitum esse Wijnnius¹⁾ ita de-
monstravit, ut dubitatio nulla relinquatur; suspicari igitur licet Livium ut in ceteris libris ita in
historia bellorum Mithridaticorum neglectum non esse, quamquam Appianus ipse ita se fecisse nullo
verbo profitetur. Ut vero illud comprobetur, explorandum est, quatenus Appianus et cum ceteris
scriptoribus, qui Livio usi sunt, et cum Plutarcho, quippe qui Livium in vita Luculli secutus sit,
rebus atque verbis conveniat.

Initio quidem narrationis Appianus de rebus, quae bello antecesserunt, velut de foedere a
Sertorio cum Mithridate inito et cum Orosio et cum Livii periocha consentit (App. 68 in. Oros. VI,
2. Liv. Per. 93). Secuntur capite proximo Appiani numeri copiarum Mithridatis, quos etiam a Livio
eo loco perscriptos esse verba epitomes (93) «apparatus dein regiarum copiarum pedestrium nava-
liumque» satis indicant. Qua in re quamquam de exercitus pedestris numero paullulum discrepant,
Plutarchus enim (c. 7 p. 504, l. 10) centum viginti, Appianus centum quadraginta milia peditum regi
fuisse tradit, de numero equitum tamen (sedecim milia fuisse dicuntur) luculenter consentiunt. Cete-
rum primis capitibus de aliis rebus ab Appiano, de aliis a Plutarcho agitur.

Jam vero de eis, quae secuntur, Appiani narratio multis cum a Plutarcho tum ab eis scriptori-
bus, qui pro Livio conferendi sunt, discrepat. Secundum Appianum (c. 71) Cotta, postquam rex in
Bithyniam incursionem fecit, omnibus copiis Chalcedonem se recipit, quia Mithridatis exercitui im-
parem se esse existimat; Mithridate deinde urbi appropinquante ipse *ὑπ' ἀπορίας* copias non edu-
cit, praefectus vero classis Nudns cum Ponticis congressus vincitur et in urbem repellitur, ut vix
ipse servetur. Eodem die rex catena, quae portum clauderat, rupta sexaginta naves Romanorum ca-
pit, quattuor incendit. Plutarchus Cottam proelium parasse et, cum victoriam iam in manibus se
habere confideret, quamquam Lucullum accedere compertum habuisset, ilico regem adortum esse nar-
rat; terra marique autem victus sexaginta navibus amissis in urbe includitur. Similiter a Livio rem
narratam esse Periocha 94 significatur; «Cotta ad Chalcedonem proelio a rege victus.» Deinde Livius
(per. 94) Deiotarum praefectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidisse narrat, cum quo
Orosius (p. 374) congruit, qui pariter praefectos regis bello trucidatos esse dicit. Neque complures
praefectos regis a Deiotaro victos Appianus novit, cum unicum ducem Ponticorum Eumachum fuisse
tradat (c. 94), nec pugnae igni caelesti interceptae mentionem facit, de qua Plutarchus (c. 8 p. 505,
15) agit. Unde concludimus, Appianum in eis rebus belli Mithridatici tertii narrandis, quae usque
ad Cyzici obsidionem gestae sint, Livium secutum non esse; cui num ea debeat, quae ad appa-
ratum belli instruendum sociosque parandos pertinent, in medio reliquerim. Quamvis enim de his
rebus a Livio non discrepet, quin etiam hic illic cum eo consentire videatur, tamen, cum ea apud
omnes fere rerum scriptores tradita fuisse probabile sit, alios quoque consulere poterat.

Sequitur obsidio Cyzici. In qua enarranda plerumque Appianus cum Plutarcho et eis, qui
Livium excerpterunt, congruit; discrepantiae paucae inveniuntur. Quo illud quidem, quod ducem
Ponticorum a Sertorio missum, quem Plutarchus recte Marium fuisse dicit, Appianus usque Varium
appellat, non traxerim; nisi enim vitium librariis tribuendum videatur, qui, quantum in nominibus

¹⁾ De fide et auctoritate Appiani p. 12—17, 34—39, 65—67.

propriis peccaverint, satis notum est, quid impedit, quominus scriptorem de nomine erravisse statuamus? ¹⁾ Per errorem eo quoque lapsus est, quod Sertorio necato Magium clam rege ad Lucullum legatos mittentem facit (72, p. 381, 10). ²⁾ Neque eo a Plutarcho discrepare putandus est, quod Appianus Ponticos, qui Cyzico discederent, ad flumen Aesepum cladem accepisse (c. 76), Plutarchus eosdem ad Granicum victos esse dicit (c. 11), cum Florus (III, 5, 17) apud ambo flumina pugnatum esse tradat. ³⁾ Leviter tamen inter eos hoc discrepat, quod secundum Plutarchum (c. 8 p. 506 in.) Lucullus per captivos de numero hostium et de copia frumenti eorum certior fit, si Appianum audis (c. 72 p. 380, 30), per transfugas. Nonnulla, quae Plutarchus secundum Livium narrat, ab Appiano omittuntur, quo pertinet somnium Aristagorae (Jul. Obs. l. l. Plut. c. 10 p. 508 in.) prodigium Ilii factum a Plutarcho in eodem capite narratum; clades Fannii et Metrophanis (Orosius p. 373 extr.) apud utrumque desideratur; nec Plutarchus neque Appianus narrant, quanta audacia nuntius a Romanis missus Cyzicum pervenerit. (Flor. Frontiu. Oros. l. l.)

Verum his, quae Appianus, quin magnam partem consulto omiserit, non dubitamus, cum etiam numerus prodigiorum bellis civilibus insertorum prae aliis scriptoribus exiguus sit, ⁴⁾ in illa parte operis tot tantaeque res obstant, quibus cum Plutarcho et Livii expilatoribus concinit, ut eum potissimum Livium secutum esse appareat. Congruenter Appianus (73 extr.) et Pseudo-Frontinus (IV, 5, 21) narrant, quanta constantia Cyziæni periculo civium a rege captorum spectato Romanis fidem servaverint. ⁵⁾ Appianus (73 et 74) et Plutarchus (11) convenienter opera describunt, quibus rex urbem aggressus sit, et tempestatem, quae eorum maximam partem deleverit; congruenter narrant (Plut. 11, App. 76 in.) inopia milites regios eo adductos esse, ut hominum corporibus vescerentur, ⁶⁾ in castris Romanorum, cum Pontum invasissent, tantam et captivorum et cibi abundantiam fuisse, ut boves singulis servi quaternis denariis constarent (Plut. 14, App. 78.). Conveniunt de audaci Pomponii responso (Plut. 15, App. 79), de exercitu Luculli ex angustiis liberato (Plut. 15, App. 80 in.), de Romanis proelio equestri victis (Plut. 15, App. 79); porro praeter Plutarchum Appianus cum Julio Obsequente (l. l.) de prodigio bovis nigrae, cum Orosio (p. 373 extr.) de clade equitatus a rege dimissi, ⁷⁾ cum eodem de Mithridate Cyzicum obsessam clam relinquire, de classe regis ad Lemnum et Portum Achaeorum deleta (Plut. 12 med. App. 77), de praefectis regiis in spelunca captis, de rege a piratis servato convenit ⁸⁾ (App. 78 in.).

Cum igitur verisimillimum sit Appianum inde a Cyzici obsidione usque ad expeditionem a Lucullo in Pontum factam Livium maxime secutum esse, de rebus deinde narratis alios rursus consultuisse videtur, de multis enim rebus a Plutarcho Orosio Frontino discrepat.

¹⁾ Wijnne p. 110: «turpissima autem macula, qua totum opus ubique large adpersum est, in eo sita est, quod tantum non omnia nomina propria foede mutilavit truncavitque.»

²⁾ Drumann, Geschichte Roms, III. pag. 129 anm. 49: «Appian sagt unrichtig, weil Sertorius getödtet war; dieser starb später.»

³⁾ Drumann, III. p. 131 anm. 59: «Nach Florus schlug man an jenem Flusse (Aesepus) und am Granicus, welches wahrscheinlich, da die Verfolgung bis zur Küste fort dauerte.»

⁴⁾ Wijnne, p. 79.

⁵⁾ Pseudo-Frontinus Livio usus est. Cf. Wachsmuth in Mus. Rhen. XV, (1860) p. 582 anm.

⁶⁾ Schweighauserus ad App. III, p. 635 adnotat, fortasse aliquid ad vocem *σπλάγγων* pertinens excidisse; humana viscera intellegenda esse facile patet.

⁷⁾ Non est dubium, quin Orosius Livium sequatur; quod enim dicit «(Lucullus) amplius quam quindecim milia hominum tunc interfecisse narratur», cum Appianus et Plutarchus quindecim milia peditum capta esse narrent, levis illa discrepantia Orosii indiligentiae debetur.

⁸⁾ Etiam eo loco de numeris paullulum inter scriptores discrepat; Orosius enim octoginta, Appianus sexaginta naves regis tempestate demersas esse tradit, sed aequae ac superiore loco talis diversitas minimi facienda est.

Plutarchus (c. 15 extr.) milites regios, cum cervum acrius persequerentur, cum Romanis congressos esse narrat; proelio iam commisso, cum primo quidem Romani fugerent, Lucullum subvenisse proelioque redintegrato hostes victosque usque ad castra persecutum esse. Quam pugnam Appianus (c. 80) ita describit, ut Ponticis proelio fugatis Mithridates auxilio veniat et Romanis tantum terrorem inicit, ut celerrima fuga montes petant.

Deinde nonnullis de Scythae insidiis dissentiunt. Plutarchus (c. 16) narrat Olthacum Dandarium Mithridati pollicitum se Lucullum necaturum esse ad Romanos transfugisse. A Lucullo benigne acceptum quodam meridie eum tabernaculum Luculli adiisse, ut consilium suum perficeret, cum autem imperator laboribus defatigatus quieti se dedisset, a servo cubiculari vel *ἀμποτέραις ταῖς χειρῶν* repulsum esse; deinde eum equum, quem ante paravisset, conscendisse et ad regem rediisse. Apud Appianum Olcabas (c. 79) Scythae, qui iam dudum ad Romanos transfugit, a custodibus non admittitur, tum equum conscendit et ad Mithridatem pervenit. Utrum Lucullo insidias paraverit et iam timuerit, ne deprehenderetur, an repulsa tantum offensus Romanos reliquerit, Appianus non audet diiudicare nec Mithridatem rei conscium fuisse ullo verbo significat. ¹⁾ Plutarchus porro (c. 17) Ponticos bis a Romanis victos esse narrat, Appianus (80 extr. et 81) unius tantum cladis Ponticorum mentionem facit. Tum discrepant de somnio Luculli, quo commotus Sinopae, urbi expugnatae, pepercisse traditur. Secundum Appianum (c. 83) enim, cum capta urbe signum linteis velatum praeterferatur, Lucullus evolvi iubet eognoscitque dei simulacrum esse, quem proxima nocte somnio viderit; Plutarchus (c. 23) vero narrat Lucullum, cum piratas persequeretur, signum in litore iacens et a piratis relictum conspexisse, cumque forte aliquis dixisset esse Antolyceum, somnii recordatum esse, quo aliquem vidisset, qui moneret, ut progredereetur. Nec de conditione, qua Mithridates fugitivus a genero habitus sit, inter eos convenit. Cum enim Appianus (82) dicat Tigranum iussisse Mithridatem *διαίτης βασιλικῆς ἀξιοῦσθαι*, quamquam ad se non admiserit, apud Plutarchum (22) legimus: *«ἀτίμως καὶ ὑπερηφάνως ἀπωτάτω περιεῖδεν αὐτὸν τρόπον τινὰ φρονιζόμενον ἐν χειρῶν ἐλῶδει καὶ νοσηροῖς»*.

Sed longum est enumerare ceteras discrepantias, velut de expugnatione Tigranocertorum (App. c. 86. Plut. c. 29), de legationibus ad Parthos missis (App. c. 87, Plut. 20 in.), de proeliis in Armenia commissis, de quibus Appianus etiam a Livii periocha 98 dissentit; sufficiat paucis demonstrare longe aliter pugnam Tigranocertensem ab hoc describi atque ab illo.

Ut enim numerorum utrimque diversitatem neglegamus, apud Appianum (c. 85) Lucullus equites praemittit, qui hostibus lacesitis rursus se recipiant, ut, cum illi persequantur, acies hostilis perturbetur. Ipse peditibus clam circumductis collem occupat, unde in impedimenta hostium ad persequendum dispersorum impetum facit, quo pedites et deinde equites eorum perturbantur, et cum simul equites Romani initio pugnae regressi de novo in hostes se convertant, hi plane funduntur ac fugantur. Plutarchus autem de pugna haec narrat: Lucullum equitibus imperasse, ut in cataphractus equites hostium a latere impetum facerent, ipsum vero duobus manipulis collem occupasse. Unde cum et ipse Lucullus cataphractus adortus esset, eos reiectos pedites perturbasse, ita ut mox communis omnium fuga oreretur (c. 28, p. 532). Cum Plutarcho de hac pugna etiam Frontinus (II, 2, 4 cf. I, 14) convenit.

Praeterea complures res, quas a Livio diligentius narratas fuisse et Plutarchus et Orosius Liviique periochae docent, Appianus ne leviter quidem stringit. Cum res in Mesopotamia gestas ab eo plane omissas esse supra monuerimus, hoc unum commemoramus Sinopen a piratis expilatam et incensam esse, quod et Orosius (VI, 3 in.) et Plutarchus (23) tradunt, ab Appiano non commemorari.

Denique silentio praetermittere non licet etiam rerum narratarum ordinem inde a pugna Cabirensi alium esse apud Appianum atque apud Plutarchum, cum usque eo ordine fere eodem utantur. Agit enim ille inde a capite 79 deinceps de proelio equestri, quo Pomponius capitur, de insidiis Scythae, de victoria regis, de rege fugato uxorisque eius et sororibus interfectis, deinde de Sinope capta et de somnio Luculli, de foedere cum Machare inito, de Clodio ad Tigranem misso, de rebus Asiae a Lucullo ordinatis. Apud Plutarchum ex ordine narrantur post proelium illud equestre vic-

¹⁾ Frontinus, qui eandem rem (II, 5, 30) narrat, praeterquam quod proditori nomen Olcabanti fuisse dicit, de omnibus rebus cum Plutarcho consentit.

toria Luculli, insidiae Scythae, clades et fuga regis, necatae mulieres, Amisus expugnata, res Asiae ordinatae, legatio Clodii, Sinope capta cum somnio Luculli, foedus cum Machare factum. In ceteris vero rebus contra Tigranem gestis, quoad omnino conveniunt, eundem fere ordinem servant.

Apertum igitur est Appianum pleraque ex illis, de quibus modo diximus, e Livii Historiis non hausisse. Tamen illum auctorem omnino non iuspectum esse ab eo valde dubito affirmare. Negari enim non potest nonnulla esse, quae ab utroque valde congruenter tradantur. Quo pertinent, quae de praecipitata fuga Ponticorum et de avaritia Romauorum Mithridatem persequentium (App. c. 81, Plut. c. 16, 17 in.) tradit. Etiam facete illud et superbe dictum, quo rex exiguum Romanorum numerum ante pugnam Tigranocertensem ludit (*εἰ μὲν πρέσβεις εἰσὶν οἷδε, πολλοί, εἰ δὲ πολέμοιοι, πάντων ὀλίγοι*) apud utrumque legitur (Plut. c. 17, p. 530, 30. App. c. 85, p. 392, l. 22. Quamquam ea verba, cum etiam a Memnoue¹⁾ commemorentur, tam nota fortasse erant, ut inde nihil de fonte concludere liceat.

Restat, ut eorum fontes indagemus, quae Appianus de rebus a Mithridate rursus in Ponto gestis tradit. De quibus quamquam accuratius quam Plutarchus agit, cuius minime intererat ea describere, quae ad Lucillum nihil fere pertinebant, tamen, quatenus hunc scriptorem conferre licet, de plurimis consentit. Atque potissimum quidem de Triarii clade plane eadem referunt, nam uterque (App. c. 89, Plut. c. 35) tum ipsius Triarii culpa, qui praeripere victoriam studeret, cladem acceptam esse tum in proelio centum quinquaginta centuriones, viginti quattuor tribunos militum occisos esse narrat. Eadem vero ratione a Livio de pugna iudicatum esse Eutropii verba supra laudata «neglegenter se et avare agentes» satis indicant.

Sed ne in ea quidem parte Appianus temere Livii libros exscripsisse videtur; nam quod dicit Mithridatem (c. 91, p. 397, 4) in Cappadociam incursionem fecisse suumque imperium (sc. Pontum) firmavisse, cum Lucillus seditione militum coactus quietem ageret, aequae ac Dio rursus a Plutarcho (c. 35, p. 542, 42) disseutit. Omnino vero dubium non est, quin Livium sequatur.

Ut igitur breviter complectamur, quae de Appiani auctoribus reperisse nobis videmur, Salustium non adhibuit, Livium vero cum de Cyzici expugnatione pugnisque eam secutis, tum de rebus, quae praefecti Romani in Ponto contra regem gesserunt, potissimum secutus est, eundem et de rebus Cottae et de rebus ad Cabira atque in Armenia gestis neglexit. In his igitur duabus partibus praecipue aliis fontibus videtur usus esse. Qui autem hi fuerint, non dixerim, nisi forte id unum conicere licet, fuisse imprimis scriptores Graecos, quos adhibuerit, cum prima certe bellorum Mithridaticorum parte Hieronymum Cardianum se consuluisse ipse fateatur (cf. supra) et (c. 2.) locus inveniatur, quem ad verbum fere ex Polybio sumptum esse et ex ipsius Polybii fragmento adhuc servato (30, 16) et ex Livio (45 fin.), qui Polybium laudat, intellegitur.

Ad extremum autem, si quaeritur, quibus causis adductus esse videatur, ut Livium tum sequeretur tum neglegere mallet, ne de hac quidem re nisi coniecturis admodum incertis nisi sententiam ferre audemus. Videtur sane Livius res a Lucullo maxime in Armenia gestas nimio quodam imperatoris studio scripsisse, ita ut rebus secundis magnopere elatis clades, quas Romani accepissent, quodam modo velaret. Favisse enim Livium vel Augusto imperatore partibus optimatum senatusque satis notum est, eisdem vero Lucillus studebat. Itaque non mirum videtur, quod Appianus, quem popularibus Caesarique favisse bellorum civilium libris saepius elucet,²⁾ quae a Livio iudicio parum integro narrata esse putabat, accuratiori examini subiecit et, si alios scriptores propius ad verum accedere existimabat, eis uti maluit. Ut autem est, illud certe dubium esse non potest, quin Appianus etiam in tertio bello Mithridatico ubique nisi circumspecto iudicio auctores suos non elegerit.

¹⁾ Fragmenta Histor. Graec. ed. Mueller III, p. 556, c. 57.

²⁾ Wijne, p. 120.